



~~G. H. 57.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58. —
SIGNAT. CLVCCCCXIII.



65

STELLA
DANNHAWERIANA,
Rodi stylo delineata
ORATIONE HAC PARENTALI,
BEATORVM MANIVM
D. JOHAN. CONRADI
DANNHAWERI

HONORI POSTHUMO DEDICATÂ,
Rituq; solenni Giessa in publico Juris Consultorum
Auditorio, feriis Concordia, die 18. Februarij ANNO
1667. pronunciatâ:


Quâ B. hunc meum Hospitem & Præceptorem
lugens, ut debui & potui, veneratus sum

M. IOHANNES *Postl*
HAMBURGENSIS.



GIESSÆ HASSORVM,

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Acad. Typogr. Ord.





*Magnifice, Maximè Reverendi, Nobilif-
simi, Consultissimi, Experientissimi, Amplissimi, Acu-
tissimi, Excellentissimi Academia Patres, Plurimum
Reverendi Mystæ, Nobiliss. Clariss. & Præstantissimi
Commilitones, Auditores suo quicunque ordine hono-
ratissimi.*

Luctuosus admodum illu-
xit olim, quem nunc agi-
mus, Concordiæ dies, qui
decimus octavus Februa-
rii inscribitur, is qui toti
repurgato orbi Christiano squalorem in-
duxit. Supra seculum enim vulgare sunt
viginti anni & unus elapsi, cùm sub vexil-
lo Christi militans, ducensque agmen He-
ros fortissimus, B. D. MARTINUS LUTHE-
RUS, stipendium depravatæ naturæ debi-
tum persolveret, animâ suâ Domino, cu-
jus verbum restauraverat, commissâ. Lu-

A 2 gebant

gebant mortuum, non illi tantum Principes & Comites, Nobiles atque Ignobiles, Docti pariter ac indocti, & quicumque Islebiæ defuncti corpus lumine cassum aspexerant; sed & universa Saxonia suum relucens Evangelii Præconem deplorabat; in primis Leucorica Civitas & Academia, quæ per hunc *Megalandrum* Dei sermo exierat salvificus, nec non ipsa Electoralis aula funus adductum flebili ejulatu prosequerentur; omnes denique sincerâ imbuti fide, communem sibi donatum cœlitus Episcopum obiisse comperti, lacrymabantur; nec ipsi ejus *adversarii*, quorum præcordia candor tangebatur, non poterant ob tanti viri obitum dolorem non contestari. Tanti erat, Auditores Spectatissimi, nostrum obiisse Lutherum!

Quanti verò etiamnum æstimari à nobis debeat ejusdem *Megalandri* funus, Christiana nos docet pietas. Hac nimirum jubente, gratâ est colenda mēte illius memoria.

moria. Enimverò ceu dignum Christianis officium diligenter inculcat Apostolus, qui suam Hebræis c. 13. v. 57. adscripsit epistolam: *Μνημονεύετε*, inquit, *τῶν ἠγαμένων ὑμῶν* &c. Mementote Præpositorum vestrorum, qui sermonem Dei vobis locuti sunt, quorum intuentes exitum conversationis, fidem imitamini. Ast quis, præter Prophetas & Apostolos, nostrorum Præpositorum major *B. Luthero*? quis laboriosior? quis Ecclesiæ Dei fructuosior hoc nostro *ἠγαμένω* ac sana doctrinæ *hyperaspiste*? qui primus, reductâ Evangelii luce; densas Papisticorum errorum tenebras dispulit: qui Satanæ ac ipsius ministrorum furori minisque Pontificalibus intrepidum firmumque opponens animum, pro Christi Ecclesiâ fortissimè felicissimeque pugnavit: qui sanctum Dei verbum à sordibus vindicavit ac pristino suo nitore restituit: qui spinosis atque rixosis Scholasticorum interpretamentis obscuratum dilucidè explanavit, laicis

ademptum, ut deinceps omnibus pateret,
 eleganter in vernaculam linguam cōver-
 tit: qui sanam doctrinam à se restitutā no-
 bis etiam per fidelium successorum ma-
 nus tradidit. Nonne hujus igitur memori-
 am æviternūm venerandam & nos cole-
 remus? Quinimò singularia ac verè mira-
 culosa B. Lutheri dona nonné exosculabi-
 mur? nonné facta ejus heroica cātābimus?
 nonné divina illius benefacta deprædica-
 bimus? Annon dies præsens, qui respon-
 det illi, quo atra morstantium virum Ec-
 clesie renascenti ante centum & viginti
 unum annos abstulit, nos, qui pio in B. Lu-
 therum affectu propendemus, instigabit
 meritò, ut gratā hodiè memoriā insignia
 προσηυμένια nostri merita recolamus? ejusdē-
 que obitum pio adhuc luctu prosequa-
 mur? Cœlestem quidem gloriam beatissi-
 mē defuncto non invidēbimus, nec ossa
 ejus quietē cubantia movebimus; non
 permittemus tamen, ut nomen super æ-
 thera

thera notum in nostro unquam animo de-
leatur.

At quousque se protendet oratio-
nis meæ vestibulum? Memorem nunc
me esse oportet, ut, cujus gratiâ hanc ascē-
di Cathedram, id præprimis negotium
exequar. Sufficiat, Auditores omnium
ordinum honoratissimi, vobis memori-
am perbeatè dudum emortui D. Lutheri
(cujus obitum præsentissimus dies signat)
tantummodò suggestisse; absolutam verò
atque completam totius vitæ & gestorum
illius enarrationem hodiè à me nolim ex-
spectetis; sed ex aliis si lubet, fide dignis
auctoribus quærat. Hoc vobis pro-
mitto, me *Lutherum Redivivum* olim,
ast eheu! *rursus demortuum* esse comme-
moraturum, DANNHAUERUM *vitâ ce-
lebri functum & morte beatâ defunctum.*

Quantum autem illum virum! ad cu-
jus nomen obstupesco! cum me nō omni-
nò la-

nò lateat, quicquid summum commen-
det Theologum, in eo reverà Dannhawe-
rum excelluisse. Qui, velut B. Lutheri scri-
pta admiratus ore prædicavit, & calamo
usurpavit frequentissimè; ita Megalandri-
cùm vitam tum doctrinam *ἡ πίδα* conse-
ctatus, ejusdem *τῆ διδασκειν καὶ ἐλέγχειν* vim mirè
penetrabilem assecutus fuit. Quis verò
Lutherum dignis maectabit elogiis? Ne
putetis, Humanissimi Auditores, me tantâ
effferri audaciâ, ut *μακαρίτω* hunc, cujus no-
men ubique claret, splendidis velim dictis
exornare. In me profectò nullus sermo-
nis splendor, nulla prorsus facundia, quæ
tanti viri laudibus respondeat. Si præco-
nem hujuscemodi desideraretis, cuiquam
Demostheni aut Tullio has dicendi partes
lubentissimè concederem. Verùm ani-
mus mihi est, rudi tantùm stylo B. JOHAN-
NIS CONRADI DANNHAWERI, Doctoris
SS. Theol. eminentissimi, vitam delineare,
ut, si quis vestrùm seu virum hunc præcla-
rum è

rum è scriptis, tanquam ex ungue leonem, quadantenus agnoverit, seu famâ celebratum audiverit, pleniori ejus notitiâ instruat, manesq; illius beatos veneretur. Equidem istud qui obeat munus, eum valere majori, atque in me est, auctoritate pariter ac eloquentiæ flumine oporteret, ut, quemadmodum mundi ille domitor Alexander Macedo non nisi ab Apelle pingi, à Lysippo fingi cupiit; noster quoque Dannhaverus à disertissimo, qualis ipse fuit, describeretur. Verum enim verò quamvis non desint, qui, quâ facundiâ pollent eximiâ, huic Beatissimo justa persolvant; si tamen rigidæ adeò quis fuerit censuræ, ut neminem nisi dignum ad delineandam solummodò Dannhaveri vitam admiserit, præter redivivum delineaverit nemo. Idcirco quod mihi pietas demandat & filialis reverentia, quam Dni. Præceptoris, Hospitis ac Mæcenatis mei beatæ memoriæ debeo; quod honoratissi-

B

mæ

mæ *Εμμανουηλ* familiae consensu, & illustris
hujus Universitatis benevolo concessu
obtineo officium, pro mentis & vocis im-
becillitate peragam: fretus omnium, quot-
quot verba facienti attentas præbetis au-
res, placidâ æquanimitate.

Quâ si benignè vos compleveritis,
quod incultæ orationi meæ defuerit, ho-
norem B. Dannhawero magnum, maxi-
mum verò mihi beneficium præstabitis.

Insigni ornant elogio fideles Dei mi-
nistros & Ecclesiæ Doctores divinæ Lite-
ræ, quos splendidis dignantur titulis, vo-
cantque *Lumina mundi, Lucernas splen-*
dentes, astra atq; Stellæ in dextrâ Filii Dei:
Ob doctrinæ præsertim ac vitæ fulgorem
talibus judicio divino encomiis insigni-
untur frugales Ecclesiæ Doctores. Neque
enim soli Apostoli à Christo compellan-
tur: *ὁμοῖς ἐστε τὸ φῶς ἔχοντες*, vos estis lux mundi:
neque Iohannes Baptista solus audit, quod
fuerit lucerna splendens & ardens: neque
illos

Math. 5.
14.

illos tanùm septem Asiaticarum Ecclesi-
 arum Episcopos designant septem illæ *Apo-*
 stellæ, quas in medio septem candelabro- *cal. 1, 16.*
 rum ambulans Dei & hominis Filius dex-
 trâ suâ tenebat. Sed cum cæteris quoque
 Ecclesiæ veræ Doctoribus, sinceris Chri-
 sti ministris, genuinis Apostolorum suc-
 cessoribus, ὁ μακαρίτης noster, *Ecclesiæ Argen-*
tinensis Antistes primarius eisdem est titu-
 los promeritus.

Qui quomodo ipsi conveniant, pro-
 posita *βιογραφία* expediet, hunc in modum
 adornanda, ut DANNHAVVERUS perhibea-
 tur *Stella in manu Iesu Christi* fuisse. Per-
 lustremus quæ sò ætatem illius à primo us-
 que ad ultimum vitæ momentum, & quâ
 ratione Is Stella in manu Domini fixa qua-
 vis dici ætate potuerit, certo ordine inda-
 gemus.

A Beatissimi illius Natalibus orsi sta-
 tim hanc stellam in dextrâ Domini depre-
 hendimus. Is enim, qui ab æterno Beatum
 B 2 nostrum

nostrum Doctorem in suis manibus con-
 signaverat, cum in lucem ederetur, dextrâ
 sic illum tenuit, ut corpore saluum nasci
 efficeret, è Parentibus progenitum non
 tantum honestis, probis & Christianis:
 quod tamen nec in minimâ felicitatis par-
 te esset ponendum: sed & Patre sacra Ec-
 clesiæ operam ministrante. Siquidem B.D.
 Dannhavverus *patrem* nactus erat virum
 Reverendum & Doctissimum Dominû
Conradum Dannhavverum, in pago *Kin-
 deringâ* Pastorem vigilantem, pium atque
 fidelem, qui ut commissæ sibi gregi summâ
 curâ ac fidelitate prospiceret, durante tri-
 ginta annos bello Germanico, ab hæreti-
 câ militum Cæsareorum turba injurias
 atque incommoda perpeti plurima co-
 ctus, ac vitæ discrimini sæpè fuit expositus,
 nec tamen suam deserere Ecclesiam susti-
 nuit. Talem habuit Noster patrem; *Ma-
 trem* verò *Mariam Magdalenam
 Brünin*/ non obscuri nominis Historio-
 graphi

graphi *Augustiui Brunnii*, itidem Isingen-
 sis propè Tubingam Pastoris quondam
 spectatissimi filiam. Ab hisce parentibus
 natus, primum lucē aspexit die 24 to. Mar-
 tii, anno supramillesimum sexcentesimo
 tertio. Natale Dannhawero solum contigit
 Alsatix adjacens regio Brisgoia cui Gallo-
 rum arx atque oppidum famigeratissi-
 mum Brisacum, naturâ & arte munitissi-
 mum, nec non urbs speciosissima Fribur-
 gum, Academia & collegio Iesuitico ni-
 mis commoda sedes, nomen celebre de-
 derunt. Brisgoix pagus est Kindringa, quæ
 nascentem Dannhawerum suscepit, locus
 alias obscurus & ignobilis, sed ex Theolo-
 gi istius nativitate & cunis multum cele-
 bratus. Hæc scilicet viri gloria est, quam
 non illi patria, sed ipse confert patriæ; Id-
 circo gloriæ laudatissimi hominis nil
 patriatenuis derogat, sicuti ignavo nil
 illustris communicat. Quemadmodum
 Iehovah è tenebris splendescere lucem

B 3

jussit:

jussit: Ita claris mundi Luminibus atque
 stellis in dextrâ suâ splendentibus tene-
 brosam, obscuram & ignobilem solet pa-
 triam largiri, atque ex illis patriæ tenebris
 suscitare. Quantus fuit Ieremias Propheta,
 sed quantula quæ sò illius patria? parvu-
 lum & vile oppidum Anathoth. Annon
 Hoseas ex pago Bethsemes? Ioel ex pa-
 go Bethor? Nahum ex pago Elkos? Ze-
 phania ex pago Sarabatha oriundus fuit?
 at hi insignes fuerunt Prophetæ & magna
 Israelis lumina. Imò ipse Rex Regum, Sal-
 vatrix totius mundi Lux, non Romæ, non
 Hierosolymis, sed in contempta Nazareth
 conceptus & educatus, in parvâ Bethlehē
 à Virgine Mariâ natus est. Quid mirum!
 quod & Beatus ille Dannhavverus ex ob-
 scuro isthoc loco natali prodiens, in tan-
 tum Ecclesiæ Lumen evaserit? cum hæc
 ipsa Stella jam tum Christi dextrâ tenere-
 tur. Magnum Ecclesiæ Lumen ac in ma-
 nu Domini Stellam se fore lucidissimam,
 tenerâ

tenerâ adhuc ætate puer luculenta dedit
argumenta, quæ si cum ætate studiorum
ejus progressum attenderimus, nullo ne-
glio animadvertemus, ac quomodo di-
vini ingenii lumen magis magisq; ex hac
stellulâ promicuerit, manifestò perspici-
emus.

Postquam sacro Baptismatis Lavacro
mundatus & gratia Spiritûs Sancti dona-
tus erat, simulac fari cœpit, sedula paren-
tum informatione piis precatiunculis af-
suetus, postea rudimentis literarum, pieta-
te atque moribus infantili ætate congruis
imbutus fuit, usque dum ætatis annû septi-
mum attingeret. Non enim ignorarunt
Optimi parentes, quod à teneris assuesce-
re multum sit, servetque odorem testa diu,
quo semel fuerit imbuta recens. Septennis
puer, jam literis & Musis aptus, à dulcibus
parentum amplexibus semotus & in Gym-
nasium Argentoratense dimissus fuit, an-
no millesimo sexcentesimo decimo. In lu-
do

do illo literario minimè ludendum, neque teneros annos otio consecrandos duxit; sed bonarum literarum amore inflam- matus, totum se iis dedit: diligenter auscul- tando, perlegendo, exercendo, omniaque frugalium discipulorum officia expediendo tantum profecit, ut condiscipulis suis facile palmam præriperet; singulis annis ad singulas curias ascenderet, inter altiùs evectos *promotos* nunquam ultimus, sed vel primus, vel præmium industriæ me- ritus.

Delectatus fuit præprimis arte poëti- cã, & Dialecticã quibus maturè suavem o- peram navavit, docente illum erudito suo hospite, ut antequam ab eo requireretur, elegans fingere carmen & syllogismos concinnare legitimos atque resolvere no- verit. Observarunt egregiam adolescentu- li indolem ac industriam scholæ & colle- giorum Antistites, dignumque judica- runt, quem, quia opibus carebat, liberali bene-

beneficio maectarent. Ab iis itaque anno millesimo sexcentesimo decimo septimo receptus fuit in Prædicatorum collegium; Quod Argentorati olim à Papicolarum superstitionibus atque abusibus purgatum, legitimo studiosæ juventutis Lutheranæ usui cesserat.

Dignus etiam habitus est juvenis *Dannhaverus*, qui unà cum Domino *Joh. Schmidio*, jam tum Magistro, postea Doctore, Professore & Conventûs Ecclesiæ Præsidente, τῷ νῦν ἐν ἀγίοις in illud collegium susceptaretur, eodemque beneficio per octo integros annos frueretur. Tanto cum se favore à magnis viris complecti sentiret adolescens *Dannhaverus*, fervidiori adhuc impetu in studia ferebatur, & quod jam majorem literis incumbendi commoditatem adeptus erat, liberales artes atque scientias humaniores summo studio excolebat, ut favitorum suorum benevolentiam tum conservaret, tum

C

adau-

adaugeret, eosque ad ulteriorem sui favorem commoveret. Magnum enim egestati suæ patrocinium existimabat situm esse in eminentiorum hominum favore, quem divina gratia sibi conciliaret, suisque ipse meritis acquireret.

Dum igitur in Prædicatorum collegio commorabatur, ita se involvebat libris, ut biennio post, anno hujus seculi decimo nono, suæ autem ætatis decimo septimo Baccalaureus fieri mereretur.

Sacro sanctæ Theologiæ studio se Danhavverus devoverat; itaque ne illotis, quod ajunt, manibus sanctissimas illas epulas contrectaret, neque importuno saltu mysteriorum adyta statim involaret, intravit prius scientiarum Philosophicarum & linguarum originalium atria, usus in formatione Philosophorum acutissimorum, Logicorum, Physicorum, Ethicorum Politicorum & Mathematicorum: Ex quibus hausta præcepta iterum atque iterum
re-

recoxit, nec non sedulam adjunxit priva-
 tam optimorum librorum Philosophico-
 rum lectionem: Adjuvit industriam acu-
 men ingenii, quo dum Philosophiæ stre-
 nuè insudabat, id eruditionis assequeba-
 tur, ut non tantum cum laude geminam
 disputationem respondendo defenderet,
 verùm etiam non rarò in disputationibus
 privatis atque publicis ex tempore oppo-
 neret. Facilè igitur obtinuit Lauream Phi-
 losophicam, *creatus Magister anno et a-
 tis decimo nono*, interque competitores lo-
 cum tertium obtinuit, ac cum facundus
 esset, gratias egit. Insuper anno sequente
 primus omnium Argentinæ *laureâ redi-
 mitus Poëticâ* floruit, à Magistro Floro
 coronatus. Nam genium naturâ poëticum
 diligenter exercere perrexerat, à fidelissi-
 mo Præceptore, Historiarum & Poëseos
 quondam Professore publico, Excellen-
 tissimo Dn. Brulovio eruditus. Post hæc,
 Philosophiâ non sepositâ, maximam o-



peram in *originalium linguarum studio* posuit, ei que ferè soli triennium mancipavit; quippe sagax præsensit, quemadmodum è Præceptoribus didicerat, haud feliciter quenquam in Theologiâ posse progredi, nisi *originalium linguarum cognitione* juxta Philosophicam scientiam instructus fuerit: Id quod experientiâ doctus, sæpiùs deinceps professus est. Inter Præceptores autem in Hebraicis percipiendis privatim adhibuit Eximium Philologum Dominum *Menonem Hannekenium*, dudum nunc SS. Theol. Doctorem & Superintendentem Lubecensem maximè reverendum. Satis ergò egregiis præparatus adminiculis anno demum 1624. Theologiam aggressus est, in quâ brevi tempore, Philosophiæ linguarumque operâ magnos profectus fecit, profectuum suorum clara edidit specimina, adhuc vigesimo quarto anno tribus disputationibus Theologicis à semet elaboratis & sub præsiidiis præ-

Præceptorum suorum Dn. Doct. Wege-
lini, Dn. D. Isaaci Frœreisenii & Dn. D.
Johannes Schmidii, publicæ atque solen-
ni ventilationi subjectis.

Haëtenus in patriâ terrâ Kindringæ
atque Argentorati Dominus istam Stellu-
lam splendorum donorum lumine illu-
straverat, suâque dextrâ gesserat. Deporta-
vit etiam ad *exterarum regiones*, in iisquæ red-
didit lucidiorẽ. Spectatæ ergò eruditionis
juvenis Dannhæwerus, cum duorum &
viginti annorum esset, Argentinâ profe-
ctus, ad alias Academias se contulit, sum-
ptuum indigentiam stipendio sublevatâ pri-
mum exiguo, postea magis magisque au-
cto. *Marpurgum*, summorum Theolo-
gorum famâ eo tempore celebratissimam,
rectâ contendit. Eò cum pervenisset, col-
legia Philosophica & Philologica aperi-
endi licentiam impetravit, iisque præfuit:
frequentante auditorum multitudine, qui
labores ipsius liberalibus didactris com-

penſarunt, ut iis vitam abundè potuerit ſuſtentare. Neque verò ipſe docuit ſolum, ſed didicit quoq; nec *αὐτοδίδακτος* egit, ſed inſignes illos perſæpè audire geſtiit Theologos, Winckelmannum, Menzerum, Feurbornium atque Steuberum, collegiis eorum & diſputationibus privatis publicisq; nunquam non interfuit, opponendo ſe ibidem exercuit ſæpiùs, ſemel etiam ſub præſidio D. Steuberi diſputationem Theologicam habuit, ſemelq; præſedit ipſe, acutiſſimo M. Goclenio acriter opponente. Hiſce jam ſe conſpicuum ſatis Haſſiacæ Univerſitati præbuerat Dannhaverus, cum anno Marpurgi completo *Altorfum* peteret, ubi aliquoties præſidendo, concionando, Theologicè ſub Doctoris *Königs* præſidio reſpondendo, omnibus citò innotuit, claruitq; non mediocriter, adeò ut ipſi Ephoria committeretur quatuor Patritiorum Ratis

tisbonensium: Cum quibus *Ienam* delatus ex optatissimo de Ecclesia Christi meritissimi Theologi Domini D. Majoris hospitio susceptus fuit. Hujus ut & Magni Theologi D. Gerhardi collegia, lectiones, disputationes sedulo frequentavit, privata etiam colloquia Gerhardi praesertim (cujus nomen perpetuo multum venerabatur) non raro aucupatus fuit. Ac ut ipsa Iena Dannhaverum praedicaret, ibidem quoque ter publice respondit, praesidente D. Gerharo bis, semel D. Majore. Neque metuit acerrimum disputatorem Stahlum, quin illo opponente semel Ienae philosophice disputando praefederit. A Ducibus Vinariensibus laudem repro-
 tavit & honorem non vulgarem (si-
 quidem Principibus placuisse viris non
 ultima laus est) quando ipsimet aspe-
 ctabant *Comaediam*, quam eleganter a se
 fabricatam Jenae actione scenica exhibe-
 bat.

bat. Prolixa foret oratio, Auditores placidissimi, si quæcunque memoratu digna in exteris Academiis obvenerint Dannhæwero, quæque laudabiliter gesserit, liberet persequi. Redeamus cum eo in patriam.

Stella hæc in alienis regionibus nitidè coruscans, Argentoratum usque fulgorè sparserat, quo excitati Academiae & Republicæ patriæ Proceres maturè consultabant, (ne prorsus ab ipsis Dannhæwerus abstraheretur) ut illum revocarent, ac idoneæ spartæ præficerent. Suorum itaque Patronorum consilio motus *Argentoram* rediit Noster anno 1628. ac eo ipso *Inspector Collegii illius Prædicatorum* designatur. Cumque probatam satis dedisset eruditionem suam, in omni literarum genere insignem, vacante *Eloquentiæ professione*, hac illi demandata est, anno hujus seculi vigesimo nono. Primo illo munere Academico quatuor ferè annos gnaviter administra-

to

to (cum interea Decanatum in collegio Philosophico obiisset) quem ad altiora natum perspexerunt Academia Antistites, *SS. Theol. Professore* eligunt trigesimo tertio ejusdem seculi anno; Professioni adjungitur *Canonicatus*, qui dicitur Thomas. Hanc verò dignitatem ut dignitate ornaret, seque eâ dignum publicè demonstraret, *Theologiae Doctoris gradum* & elogium rite suscepit, ætatis suæ anno trigesimo primo. Subsecuta deinceps sunt multa alia splendida munia, dignitates atque honores, quæ in hunc unum virum confluxerunt: *Theologicae Facultatis Decanus* decimùm nonùm: *Universitatis Rector* quintùm & *Censor* aliquoties fuit; Fuit *Visitor Collegiorum*, *Inspector stipendiariorum*, *Bibliothecarius*, *Pastor in summo templo*; ac ne ullum relinqueretur munus tam labore quam dignitate plenum, quod summo Theologo conveniret, anno demum nostri seculi quinquagesimo octa-

D

vo,

vo, in locum Doct. Iohannis Schmidii B. M. statim post ipsius obitum, surrogatus est *Conventus Ecclesiastici Praeses, & Capituli Thomani*, quod Argentinae floret, *Decanus* perpetuus. Tot atque tantis honoribus, dignitatumque radiis nitidissimis in Domini dextrâ fulsit Stella Dannhaverus. Ast hi plerique radii intra hemisphaerium Argentoratense recepti & conclusi fuerunt; Eruditionis autem fulgor, qui divinissimi ingenii proles, in totum orbem dimanavit. Fuit namque Dannhaverus Lucerna in Academico Argentoratensium candelabro posita, undè circumquaque in omnes terræ plagas illius splendor exiit. *Fuit Dannhaverus vir, qui ingenii, doctrinae, & perspicacissimi iudicii copiâ superiorem suo tempore neminem, paucos forsitan habebat pares; Labore tenax & indefessus. in serviendo studio promptissimus, docendo ac disputando felix & nervosus, concionando perquam suavis, admodum disertus & mirè*

rè penetrabilis, scribendo singulariter nitidus
 accuratus & acutus. Hinc è divite pectoris
 ejus thesauro tot ac tantæ prodierunt pre-
 tiosorū voluminum opes; tam nitidi ab hâc
 Stellâ radii in mundum emanarunt. Non
 indigent alieno encomiorum lumine,
 quæ suo fulgore splendent, omni elogio
 illustriora *Dannhavveri scripta*. Quis
 Poëta non laudet *sacra illius poëmata*.
 Quis sobriè philosophans non magni æ-
 stimet *Dannhavveri Canones Logicos &*
Metaphysicos, Ethico-Politicam, Ideam
Boni Disputatoris & Malitiosi Sophistæ,
Boniq; Interpretis & Malitiosi Calumni-
atoris, Analysin Logico-Rhetoricam Para-
doxorum Ciceronianorum, Didactica de
Syllogismo infinito, Auctarium Questio-
num Moraliū in Questiones Politicas Junii
Epitomen Dialecticam & Rhetoricam cum
tractatu de memoriâ? Quis Theologicorum
 operum judiciosus & candidus æstimator
 non miretur ejusdem *Hodosophiam u-*

D 2

tramq;



tramq₂ breviorē & auctiorē, gemi-
nam Hodomoriā, Papai & Calviniani
spiritūs, Christosophiam, Anti Christosophi-
am, Mysterosophiam, Polemosophiam,
Hermeneuticā sacram, Theologia Symbu-
leuticā Tomum primum, Lactis Catechetici
Tomos octo, Tomum primum & secundum
homiliarum sacrarum, Collegium decalogi-
cum contractius, Christeida, Aletheam San-
ctam & victricem, vale Triumphale contra
Corneum Iesuitam, Gorgiam Sophistam
contra Valerianum Magnum Cappuci-
num, Aristotelem Recidivum, Gamalie-
lem Hebræo-Teutonem, Stylum vindicem
processionis Spiritūs Sancti, Salve Refor-
matum & Resalve Lutheranum, Syncre-
tismum detectum, Illicem & obicem Pacis,
Nuncium Britannico missum & Appellati-
onis nullius Repulsā, Iconoclasten Pra Ada-
mitam Vtina Onyrocritarū Batavorū de-
liquia, Erägelisch Denckmahl/ Predigten über
den 19. Psalm sampt angehengter Cometen
predigt/

predigt/Abschiedbrieff/ Schulrecht/ Abgendi-
 tigte Rettung/ Türckentruk und Christenschutz
 & quæ similia, nec non innumeras *dispu-*
tationes & *programmata*? Tot atque tanta
 sunt Consummati istius Theologi atque
 Philosophi, Beati Dannhaweri, *scripta*
typis evulgata, ut suis tantum titulis ea re-
 citasse, sit encomiis maximis exornasse.
 Atque utinam Dannhawero superstitelu-
 cern vidissent desideratissima ejus opera,
 quæ partim *affecta* partim *effecta in manu-*
scriptis delitescunt! *Hodomoria Photinia-*
na & *Arminiana*, *Theologia Symbuleutica*
Tomus secundus, *Collegium Decalogicum* ex
 parte *auctius*, *Lactis Cathechetici cõplemen-*
tũ; quæ omnia mortis inopportunitas,
 vel nobis præripuit vel inexplorata reliquit,
 scripta magno Theologis usui futura! No-
 lo jam in medium proferre, ne beatis Ma-
 nibus abblandire videar, de memoratis,
 quæ extant scriptis, præsertim Theologi-
 cis, Præstantissimorum Theologorum

D 3

præ-



præclara judicia; quippe quæ alibi refer-
 vantur, typisq̄ue forsan aliquando divul-
 ganda erunt. Illud tamen silentio non est
 prætereundum (de quo modestè sibi no-
 strum μακαρίτω gratulatum esse ex ipsius ore
 audiui) quod *Potentissimus Danie Rex,*
Princeps in humanis divinisq̄ literis emi-
nentissimus scripta Dannhavveriana tanti
pretii censeat, ut iis legendis multam non pi-
geat operam tribuisse. Quantò verò magis
 eadem merentur, ut ab omnibus, qui ex
 professo Theologiæ addicti sunt, studiosâ
 manu terantur? Brevibus siquidem, ner-
 vosis, elegantibus, ἐμφραπικωτάτοις, commodis-
 que verbis multa atque optima comple-
 cti usitatus est *Dannhavveri stylus.* Qui si
 quibusdam subobscurus atque difficilis vi-
 detur, culpa non in ipso stylo conciso & li-
 mato, sed in lectoris vel ignorantia vel
 oscitantia residet; Qui non nullâ Sanctæ
 Theologiæ notitiâ inbutus, terso stylo af-
 fuetus, & ad res attentus fuerit, illum
 Dann-

Dannhaveri scriptis moram & operam
 insumpsisse nunquam tædebit. Experien-
 tiâ suâ testari possunt præclari viri plurimi,
 qui scriptis dictis que, quibus eos informa-
 vit Dannhavverus, hanc potissimum gra-
 tiam referunt, quod eorum adminiculo
 eousque in rerum Theologicarum noti-
 tia profecti sint, ut digni sint habiti, qui sū-
 mis Academicis atque Ecclesiasticis fun-
 ctionibus hinc indè occupentur. Adeò fa-
 ctus est *Dannhavverus magna demū Lux,*
magnum Ecclesie mundiq; Lumen Lucerna
lucidissima, Stella in manu Domini fulgen-
tissima, quæ consummatâ eruditione atque
 doctrinâ, scriptis & discipulis suis, ceu ra-
 diis effusis, universæ Christianæ Ecclesie
 fulgorem immisit; Quæ perquam etiâ effi-
 caci veritatis divinæ splendore fastuosos ac
 fatuos hæreticorum oculos sic obstrinxit,
 ut non amplius adversus eam prospicere
 valuerint. Qui si post hujus Stellæ occasum
 capita rursū attollere ac mortuo insultare
 leoni

leoni ausi fuerint, non deerit B. Dannhavvero Lumen, aliis succedentibus Stellis communicatum, quod adversariorum oculos, affulgente divinâ gratiâ ulterius occæcet. Conspeximus, Auditores, Stellâ nostram Doctrinâ fulgentem, nisi temporis ratio vela orationis contrahenda suaderet, latiùs hæc diducenda forent, nec paucis esset verbis declarandum, quem etiam Vitæ fulgorem nostra Stella sparserit: Debet enim, ipso monente Christo, uti omnium Christianorum, ita præcipuè Apostolicorum Ecclesiæ Doctorum Lux coram hominibus lucere, ut videant illorum *operabona*, cælestemque Patrem celebrent. Itaque B. Doct. Dannhavverus vitæ etiam honestæ luce nunquam non lucere studuit. Juventute cum sincerâ pietate atque honestate transactâ cum ætatis atque officii ratio exigeret, animum (quem à libidine purum, impollutum semper atque castum servaverat) ad legitimum ma-
tri-

trimonium applicuit, elegitque sibi votis
 expetitam *conjugem*, virtutibus foemine-
 is eminentem *matronam*, *Salomen Hug-*
swartin/sui quondam Praeceptoris Dn. Bru-
 lovii Historiarum Professoris viduam,
 nunc iterum viduam maestissimam. Hanc
 sibi anno M. DC. XXIIX. matrimonio jun-
 xit, cumque eam usque ad vitae suae terminum
 cum suavi honestate, unanimi concordia,
 operaque mutuam jucundissimum fovit
 matrimonium. At verò illud, in quo uno
 conjugii Dannhaveri suavitas felicitasque
 requiri videbatur, illi defuit; Prolem ex
 suavissimo conjugio in spem generis pro-
 pagavit nullam, & quod magis mirum seu
 miserum, nec fratrum, (quos duos adhuc
 vivos honestos viros opifices reliquit)
 quispiam sexus alterutrius sobole gaudet,
 Id quod occultis verumtamen optimis
 Dei consiliis tribuit, iisdemque placidus
 acquievit noster Dannhaverus, eam con-
 tentus gratiam, quod Deus per chartaceos
 E inge-

ingenii foetus perennem sibi famam, nomen atque gloriam concessurus sit. Interim loco liberorum libros, ut instructissimam sibi bibliothecam collegerat, excolatus fuit; nec parum in senectute oblectavit animum amplexibus filioli atque filiolæ, quos ex Beati nostri sororis filiâ suscepit *Plur. Rever. & Excell. D. Balth. Bebelius*, quem ipsummet B. Dannhawerus filii ac hæredis honore & felicitate dignissimum censuit.

Sed vestrâ abuterer, Audit, patientiâ, si vitæ cæteram quoque conditionem, si mores illius omnes venustissimos, stellarum qualitatibus conformes; si modestiæ & *αὐταρχείας* studium, quod tot recusatæ splendidæ ad alias regiones vocationes prodidère; si fidei & pietatis *ἀνυστάσεως*, si animi candorem; si deniq; omnium Christianarum virtutum & actionum momenta, quæ in B. Dannhavvero & magna & plurima fuerunt, recensere vellem. Id unum, quod

quod beatæ mentis tranquillitatem commendat, non possum hic non attexere, Dannhavverum nunquam nisi provocatum (quod ipse meis auribus dixit) cum adversariis & veritatis hostibus in arenam descendisse; Calumnias illorum magno lenique animo contemnere solebat, hoc unice intendens, ut illos mendacii convinceret, & ad veritatis agnitionem commoveret: Quando à malevolis quibusdã injuriis onerabatur, non cogitavit eas ulcisci, verùm pacis amore & tranquillâ *patientia* cõcoxit. Id quod non factis solùm, sed ponderosis quoque verbis testatum fecit, dum mortis stimulum procul dubio jam præsentifcens, brevi ante morbum tempore manu propriâ scripsit verba illa, quæ in aliquo exemplari secundi Tomi illius Theologiæ Symbuleutiæ typis jam expressæ ad quartum Dialogum scripta, post ejus obitum invenimus, quasi novi & ultimi operis titulum Germanico-Latinum talem:

INGRATO MUNDO

V A L E.

Dom Hirtenlohn.

Atenellis unguibus

CALUMNIS UT SPINIS CIRCUMSEPTUS,
invisus in vitis.

Patientiam, quam hoc memorabili scripto declaravit, in cæteris etiam adversis & ærumnis constantem servavit, ac cum primis in ipso, quem mors secuta est, morbo conspicuam fecit. *Annum jam superaverat climactericum magnum*, fecer atque spem vitæ longioris, quam votis omnes pii calidis precabantur. Ast ipse Danhavverus nihil tum demum magis in votis habebat, quàm ut beatâ analysi ex invidioso & maligno mundo in æternam quietem susciperetur. Nihilo tamen minus suo neutiquam destitit officio perfungi, quantum ætate fractæ vires permittebant, assiduè laborabat, ut saluberrimis consiliis, concionibusque fructuosissimis suæ

suæ Argentinensi, scriptis autem quàm gravissimis universæ Christianæ Ecclesiæ plurima emolumenta relinqueret. Donec tandem è variis adversitatibus, animum viri cruciantibus *ægritudinem corporis mortiferam* attraheret. Primùm *ferina*, quam vocant *tussis* eum infestare cæpit, hâc quoniam quotannis ferè solitus est laborare, consuetis eam remediis pellere tentavit, sed frustra; è nimium enim radicato intrinsecùs malo orta erat, quod suas vires paulatim majores explicabat per pleuritidem notham ac pituitam, quæ pectore conclusa phlegmata vires ægrotantis frangebant, ut se lecto dare cogeretur; materies illa pituitosa indies copiosior circum præcordia collecta, ardentem ferè continuam febrim excitabat, ex quâ ægrotus vehementes dolores atque cruciatus sentiebat, ut morbum suum aliquoties *martyrium* vocare non dubitaret, id quod pro Dei gloriâ zelo contractum, mirandâ

E 3

pati-



patientiâ sustinebat. Adhibebãtur Experi-
 entissimi Medici, qui in ægroto curando
 omnem operam impenderunt, medica-
 mentis usi probatissimis, sed istum mor-
 tis prodromum expellere arte suâ non va-
 luerunt. Nec latuit ægrotum, quod sæpiùs
 etiam dixit, per morbum istum se in æter-
 nam vitam introiturum. Ad mortem igitur
 se maturè composuit, accersito Con-
 fessionario, ex intimo pectore confessio-
 nem dedit, absolutionem, consolatio-
 nem atque sacram Synaxin cum desiderio
 ac fide intrepidâ accepit, multum vel taci-
 tè vel clarâ voce precatus, ac solatifluis sa-
 cræ scripturæ dictis sæpiùs ad beatam a-
 nalytin ingemiscens. Nonnunquam ceu
 divino Spiritu ac gaudiis cœlestibus re-
 pletus *Iesum sibi adstare, ac puerulos obam-
 bulare* pronunciavit. Angelorum scili-
 cet beatorum choro se iri insertum præ-
 videbat, Iesumque videbatur jam intueri
 oculis, quem fide jugiter fuerat contem-
 platus:

platus: Oppositam lecto imaginem Christi confossas distendentis palmas, dum fixis obtuebatur oculis, Iesu amplexum optabat; Ejusdemque amore & merito suam solaturus ærumnam de Electione beatificâ articulū sibi diversis perlegi vicibꝰ è Lacte suo Catecheticopetebat, nec de suâ dubius salute æternâ gratiosæ Electionis solatio confirmabatur. Tandem verò postquam præter ea, quæ aliquot annis jã testamento caverat, adhuc alia pro ultimâ suâ voluntate constituisset, mortē jam instare atq; oppugnare ægrotum manifestò deprehensū est. Hinc adstantes, tristissima uxor, & Dn. Doctor Bebeliꝰ familiares, cognati & cæteri mecū domestici precibꝰ agonizantem præire, ipseque aliquãdiu submissè ducere suspiria, interdū verba emphatica *de coronâ Iustitiæ, Iesu Salvatore ac vitâ æternâ* clarâ voce volenter exprimere, usque dum omnes sensus obstrui, vox obmutescere, manus pedesque paulatim rigere cœperūt.

Quo

Quo factò , noster Dannhavverus
placidâ morte animam exspiravit, mani-
 busque Dei, quibus commendaverat, salu-
 te æternâ beandam tradidit. Atque sic *Stel-
 la illa Argentinensium, imò univèrsa Chri-
 stianæ Ecclesiæ, splendidissima* occubuit;
 dextrâ verò Christi non excidit, sed velut
 in terris gratiosè, ita in cœlis gloriosè in
 eâdem permanet. Mortuus est eheu! *Clari-
 rissimus Dannhavverus, incomparabilis ac
 consummatissimus ille Theologus* præterito
 anno millesimo sexcentesimo sexto, die
 septimo Novembris paulò ante horam
 nonam vespertinam, cum tredecim dies
 morbo decubisset, vixissetque annos sex-
 aginta tres, septem menses, duasque se-
 ptimanas. *Ætas tanto viro brevissima, si ge-
 nium ejus divinum atque inæstimanda,
 quæ affatim Ecclesiæ tulit, ac porrò con-
 ferre potuit, commoda perpenderis; sed
 aptissima, si divinum consilium, vitæ in-
 commoditates his seculis adhærentes, &
 mali-*

malignitatē mundi contemplatus fueris:
 Quæ nisi mortē ejus accelerassent, plures
 & potuisset, & seculares omninò debui-
 set Dannhaverus annos transigere; optā-
 daque ipsi Patriarcharum antediluviano-
 rum vita longissima fuisset. Ast cū aliter
 nequeamus, benignæ voluntati & consi-
 lio divino salutari meritò acquiescimus;
 Patri Luminum æternas solventes gratias,
 quod tantū *Ecclesiæ Lumen*, *Lucernam*
atq; Stellam lucidissimam nostrā ætate splē-
 dere atque dextrā sustentare dignatus fue-
 rit, ut hoc Doctore Christiana Ecclesia
 fructuosè erudiretur, copiosè ædificare-
 tur, victoriosè propugnaretur: Eundem
 junctis imploremus precibus, ut ejusmo-
 di alia Ecclesiæ Lumina, *Luthero Dann-*
haveroq; similia accendere, accensa fo-
 vere, atque per ea velit suam Ecclesiam
 collustrare, perpetuò conservare & dex-
 trā validā defendere; Ne quæcunque hæ-
 reses eam obscurent aut disturbent; ne

F

præfer-

præsertim exitiosus ille Syncretismus (qui à Dannhawero vivo olim repressus, eo mortuo cancellos rumpere, ac summâ vi Ecclesiam oppugnare minitatur) caput at- tollat, nevé gratum illud novitate vene- num sana Ecclesiæ membra inficiat. De- precemur Deum T.O.M. ne occidens hæc stella, mors scilicet Dannhaweri, uti ma- gnorum Ecclesiæ Doctorum obitus solet, nobis Crinita quædam stella sit, Politix at- que Ecclesiæ malorum prænuncia. Id verò quantopere sit verendum turbulenta re- rum facies præfagit. Deprecemur igitur, deprecemur seriò impendentia mala.

Quod superest, ex animo gratulamur *Beatissimo Dannhawero* de æternâ, quâ ejus animam certò frui non dubitamus, gloriâ, cœlestique beatitudine, quam post gloriosam corporis resurrectionem, ani- mâ atque corpore redunitis, cum omni- bus beatis completam percepturum esse nostrum per beatè defunctum, solidâ fidu- ciâ spe-

ciâ speramus, ac re ipsâ experiemur, quan-
do magnum illum *Iustitia Doctorem*, coeli
splendore circumfusum, in regno Dei glo-
rioso instar solis atque *lucidissima firma-*
menti stella fulgentem contuebimur.

Cum nobis fati quoque inevitabilis ordo
Iusserit, hanc letho miseram concedere
vitam;

Emundo ut placidâ migremus morte bea-
tam

In patriam, faxit Deus almus, Et inter
Olympi

Nos referat cives: precor imo pectore.

D I X I.

F I N I S.





Magni Theologi, POSTI, funebria tractas,
Plurima de vivo dicere, dignus erat.
Ingens scriptorum presentat gloria vivum,
Non DANNHAVERI fama perennis obit.
Sermone è cathedra profers encomia terso,
Nec capit Eximii pagina dona Viri.
Pulpita ceu Temet vidère Academica, sic &
Te Mystam resonent rostra sacra Pium.

Benevolentiae ac honoris ergò apposuit
GISSÆ

JOH. NICOLAUS MISLERUS,
S. Theol. D. Professor, Superin-
tendens & Pædagogiarcha ibid.

Dum VIRI MAGNI celebrare laudes
Niteris POSTI venerande Fautor,
O minor, quòd sic tua laus adusque
Sidera scandat.

Debiti honoris & boni ominis causâ Clarissimo DNO.
M. POSTIO, SS. Ministerii Candidato eximio,
Domestico quondam suavissimo, Amico jugiter
colendo, amando apposuit

JOHANNES Weiß/Mor. & Civ.
Prof. Ord.

Qui

QUod mortis tenebras scriptitat & tua
 DANNHAWERE sonat multiplices opes
 Doctrina, is cumulos consequitur sibi
 Fama multijuga viri.
 Huic POSTI tumulo dum lacrymas tuas
 Fundis, nominibus percelebris cluis,
 Et dum scripta doces Theiologi, hinc facis
 Ut Te Posteritas ferat.

Ita ominor

PHIL. LUD. HANNEKENIUS,
 P. P.

SEdenck des Lehrers Treu / der
 Gottes Wort gehaget /
 Schau dessen Ende an / den Straß-
 burg hoch beflaget /
 Herrn Doctor Danhauerns / der
 sich verdient gemacht
 Vnd viele Seelen hat zum Him-
 melreich gebracht /

F 3

Indem

46
In dem das göttlich Wort er gründ-
lich recht gelehret/
Welchs die Pfarz-Kinder sein mit
Lust und Lieb gehöret/
Lehr/Trost und Warnung gab er
auff dem Predig-Stul
Nun wird er sehr beklagt auff un-
ser Hohen-Schul!
Herz Post ihr habt fürwahr ein lob-
lich Werck verrichtet/
Dz ihr Herrn Danhauern ein Denck-
mal auffgerichtet
Im besten Eurer wird man den-
cken jederzeit/
Wann ihr den Lauff vollbracht in
dieser Zeitlichkeit.

Dieses setze auß wohlmeynendem Gemühe
glückwünschend in Gießen

M. CONRADUS MISLERUS,
Stadt-Prediger daseibst.

Noch

Noch länger als die Sonn' / am rundo
 gewölbten Himmel /
 Zusampt dem salben Mond / mit al-
 lem Stern-Gewimmel /
 Behalten ihren Glantz und geben ihren
 Schein /
 Noch länger wird ein Stern der Kirchen
 leuchtend seyn.
 Dann wenn / im letzten Nu / Sonn' / Stern und
 Mond vergehen /
 So bleibt ein Kirchen-Stern in hellem Leuch-
 ten stehen /
 Der nimmet nimmer ab / sein Glantz wird
 mehr vermehrt
 Als denn / wenn Sonn und Mond die
 letzte Blut verzehret.
 Das zeuget **SDZES** Wort. Wir findens
 außgeführt
 In vorgesezter Schrift / worinnen wird be-
 rühret
 Ein solcher Kirchen-Stern: Ein hoch-
 gelahrter Mann /
 Dem keine Dunkelheit den Schein ver-
 dunkeln kan.

Herz

Herr Post hat dessen Glantz in Schrifften wol-
len fassen/

Und so/der duncklen Welt zu leuchten / hinter-
lassen/

Wir rühmen solchen Fleiß/und wünschen
das dabey/

Das auch Herrn Postens Ruhm da-
durch stäts glänzend sey.

Dieses setze eilend/ doch herzlich wünschend/
hierzu/

Herrn M. Postens/als seines grossen Freundes
E. D.

Ernst Müller/ Pf. 2c.
zu Giessen.

DUM DANNHAVVERUM luges præclarè Magister
Rite facis, Magnus nam Tibi Doctor erat:

Condoleo pariter verbis, quæ scribere penna

Invida nunc retrahit, nam Mihi Doctor erat

Argentorati, Quò non meliore fruisci

Contigit: Excellens Doctor in orbe fuit!

Dum DANNHAVVERUM laudas, post funera clarum

Applaudo, atque precor prospera Fata Tibi.


*Paucis hisce Clariss. Dn. M. Joh. Postio, Rev. Minist.
Cand. digniss. Memoriam Eminentissimi quon-
dam Ecclesie Ducis, solenniter non sine laude re-
colenti, constantis amicitia tesseram relinquo
Corbachii Waldeccor.*

JACOB RICHARDUS, Rector & Gymnas. ibid.

F I N I S.

PA 0007-079





Ung. VI 58 (11)

ULB Halle

3

002 686 287



Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

65

LLA
WERIANA,
delineata
C PARENTALI,
MANIVM
CONRADI
AWERI
IMO DEDICATÂ,
ublico Juris Consultorum
die 18. Februarij ANNO
unciatâ:
ipitem & Præceptorem
tui, veneratus sum
NES *Posti*
GENSI S.
)oo
ASSORUM,
AMPELII, Acad. Typogr. Ord.

